
DIVINI AMORIS DISCORDIA
DE
S. SPIRITVS
ADVENTV.
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio.

AD SANCTISSIMVM D. N.
INNOCENTIVM XI.
PONT. MAX.


AB ANTONIOTTO INVREA
Sem. Rom. Conuict.





ROMÆ, Typis Io: Francisci de Buagnis. 1689.
SVPERIORVM PERMISSV.

163



SANCTISSIMO DÑO NOSTRO

INNOCENTIO XI.

PONTIFICI MAXIMO.


ANTONIOTTVS INVREA
Felicitatem.

NObilem cum vitijs Diuini Amoris Diſcordiam geſtas in Pectore Vicario Diuinitatis: BEATISSIME PATER. Ibi enim Virtutes omnes contra aliena Flagitia inſurgunt; ibi ſuperſtitionem, & Hæreſim Vaticani Oraculi Veritas confodit; ibi in Prædonem

Animarum, Erebique ſurias, Diuini ipſius Amoris pharetris armatur Innocentia. Mirum ergò non accidat, ſi balbutiens Orator tenuem huiuſmodi Orationem ad Sacri Nominis Tui Maieſtatem allegat. Debetur ſanè Tibi, cui Cœleſtis Spiritus expreſſit in Animo, quidquid hic probare nititur rudis planè Facundia. Vt proindè mihi Auditores ſubſcribant; me non audiant, Te videant. Híc tamén tacendum mihi eſſe intelligo. Diſcordiâ ením ſuâ Diuinus Amor tuis quoque laudibus te reddidit Inimicum.



ORATIO.



MOREM Concordiæ Magiſtrum hactenus humana Ingenia crediderint. BEATISSIME PATER. Mutauit certè Præceptor igneus hodierna luce ſententiam. Prodit in publicum adſcitis in ſatellitium fragoribus, & coruſcanti diuiſus multiplicitate linguarum: apertoque apud Hieroſolymam Athenæo, vt ingentes diſcipulos omnem veritatem edoceat, docet diſcordiam. Ne in Paradoxum Oratio ambitiosè degeneret, admirabilis aperire placet diſſenſionis naturam. Interim, vt benè ament, mortales intelligant Diuinum Amorem in Cælo ſuã ſibi ſepoſuiſſe Concordiam: in terris verò nil ardentius ſitire, quam diſſidia.

Et

Et meritò quidem. Errauerant enim in horto voluptatis Primi Parentes, Concordi nimium admiſſione facinoris; paruumque gemini capitis Populum diſcordem fecerat Deo infelix Cócordia Animorum. Senſit tùm primum Inimicam ſibi coniunctionem diuinus Amor; diuiſionemque omnium maximam Terris intulit, Mortem. Sed eludente adhuc Vitij Contumacia remedium legauit Deus ad Poſteros Adæ filium; qui gladium in terras immitteret, & hominem ab homine ſepararet. Plus tamèn Actum eſt hodie. Ignis additur gladio, vt videlicet efficaciſſimi Vis elementi pernicioſa Animorum vincula non incidat tantummodò, ſed & conſumat; Deuoratoque penitus hoſte, diuinam firmet Amicitiam bellatricis Diſcordia Charitatis.


Ex Auguſtis igitur Cœnaculi latebris illuſtre diſſidium erumpit. Audio nobilem vocum confuſionem, & multiplicis loquelæ aerium veluti labyrinthum.

thum. Igneo eruditi Magiſtro Doctores Gentium, iam cum ſuperſtitione diſputant, iam Diuina Dogmata humanis opponunt, iam Tyrannos accuſant, iam Præſides repræhendunt; & ne quid admirabili deſit diſcordiæ, ipſi à ſe Terrarum, & marium interuallo ſecreti, vnà cum Sole ſparguntur.

Eat nunc, & obſidionalem Cœlo Turrim Nembrothus admoueat: Feralem Gigantum Concordiam Diuinus Amor Caſtigabit: Cadent de Cœlo linguæ; Pluet labilis Diſcordia; eritque illic pœna, quod hic eſt Beneficium.

Et ſanè beneficentiſſima huiuſmodi Diſſenſio, quantum Diuino arrideat Amori: vel ex ipſis Sacrarum Literarum Oraculis licet colligere. Amantiſſimus enìm ille Terrarum Incendiarius non ſolum Ignis, ſed etiàm aquæ nomine frequentèr obuolutus, viſus eſt aduocaſſe in ſignificationem deſiderij ſui, vel ipſam diſcordiam Elementorum. Certo certius credimus poſt repenti-

nam Spiritus vehementiam cecidiſſe hac luce de Cœlo flammas: Regius tamen Vates poſtquàm intonuit de Cœlo Dominus, fontes aquarum apparuiſſe confirmat. Audimus in Sacris precibus nil enixiùs fideles petere, quàm vt igne ſuo Diuinus Amor pectora humana comburat, interìm Anxia Voti Religio, intima Diuini roris aſperſione ſinum ſibi poſtulat fœcundari: Quid plura? Videmus ibi lucidiora Cœleſtis Spiritus Argumenta, & maiora Diuini Amoris incendia; vbi fides in largiores fletus effunditur, vbi frequentius Pietas illacrymatur. Quænam iſthæc ignis, & aquæ ſatis diſcors ſignificatio? vt nimirùm lucē clarius appareat, Diuinum Amorem in Cœlo tantum ſuam ſibi paraſſe concordiam, in hoc verò Terrarum ambitu otioſæ quietis inimicum, diſcordiam cum Vitijs quærere, nobiles cum criminibus poſcere lites, & ſpecioſa cum erebo amare diſſidia.



LAVS DEO.